

DISSERTATIO TERTIA DE CRIMINIBUS, QUIBUS INJURIA IN RES DEO SACRAS INFERTUR.

QUUM res Deo sacræ sint ab humano commercio exemptæ, & quasi divini juris esse dicantur; facile percipitur, injuriam in ipsas illatam ita gravem haberi propomo-

um, ac si directò adversus Deum illata fuisset, quemadmodum tradiderunt Patres Concilii Aquisgranensis II. anni 838. can. 6. Evenit id potissimum in sacrilegio, simonia, spreto cultu Sancto- rum, item spreto cultu Sacramentorum.

CAPUT I.

De Sacrilegio.

LAtissimè patere potest sacrilegii no- men, cum pluribus in locis usurpetur pro quocumque delicto adversus divinam legem veluti rem quammaximè sacram admissio, cap. 7. de reg. jur., l. 1. cod. de crim. sacrileg. Factum inde fuit, ut velut sacrilegi haberentur, qui alteri desponsatam sibi matrimonio jungerent, can. 50. caus. 27. quæst. 2. l. 30. in fine cod. ad leg. Jul. de adulter., qui schismate Ecclesiam dividerent, qui rebaptizarent, qui blasphemarent, can. 35. caus. 23. quæst. 5., qui potestate sibi à Deo tradita abuterentur, can. 5. caus. 24. quæst. 3., qui mendacium coram Deo proferrent, can. 47. de penit. dist. 1., qui magos, aruspices, & quosvis ejusdem generis homines sectarentur, can. 5. caus. 26. quæst. 5., qui Judæis occasionem præberent injuria potestatem exercendi adversus Christianos, can. 31. caus. 17. quæst. 4., qui non sincerè ritè Ecclesias ordinari can. 125. caus. 1. quæst. 1., ut alios benè multos omittam. Imò & juxta Imperatoris constitutiones sacrilegium admitti pronuntiatum est, quoties Principis auctoritas directò leditur, vel quum de ejus judi-

cio quæritur, l. 3. cod. de crimine sacrilegii, vel cum non obtenta ab eo potestate publicam sibi quis jurisdictionem usurpat, l. ult. cod. eod. tit. l. 1. cod. ut dignitatum ordo servetur. Hæsanè sunt improprie nominis significationes. Etenim propriè sacrilegium quasi à sacris rebus legendis desinit Isidorus in lib. 5. Originum cap. 26. *furtum rerum sacrarum*; quemadmodum sumitur in can. 3. 5. 10. caus. 12. quæst. 2., can. 4. 5. 18. caus. 17. quæst. 4., can. non 3. caus. 23. quæst. 4., & cap. 22. de sentent. excommunic. Reverè si de sentent. excommunic. leges respiciamus, non alia in specie sacrilegium admitti, & sacrilegii poenas imminere traditum est, quam ubi quis res Deo sacræ abripuisset, vel suppressisset, l. 4. 5. 6. & 9. §. 1. ff. ad leg. Jul. pecul. Paulo latius ecclesiasticorum canonum auctores sacrilegii nomen sumpsere, juxta quos definitur *rei sacræ violatio*, unde emersit vulgaris sacrilegii divisio in personale, locale, & reale, prout vel persona, vel locus, vel res Deo sacræ violatur, can. 21. caus. 17. quæst. 4. Hinc mihi displicere non potest illorum opi-

opinio, qui putant, quoties emergat disputatio de poenis adversus sacrilegos generali lege indictis, distingui oporteret inter ecclesiasticos canones, & civiles constitutiones; ita ut si de poena à canonibus imposita agatur, sacrilegorum nomine veniant quicumque vel personam, vel locum, vel rem Deo sacram violaverint; at si agatur de poena civilibus legibus præstituta, iis tantum imminere dicatur, quousque aliud non sensisse legislatorem adpareat, qui res Deo sacræ abripuerint.

Itaque ecclesiastico jure primò sacrilegium admittitur in personas Deo sacræ, veluti, cum adversus Episcopos, vel majores Prælatos, Sacerdotes, & omnes in Clero constitutos injuria infertur, cædendo, vulnerando, aut contumeliis afficiendo, l. 10. cod. de Episc. & Cler., can. 21. & 29. caus. 17. quæst. 4., cap. 5. de poenis in 6., Clem. 1. eod. tit., quod adeo verum est, ut etiam obtrineat in Clericis conjugatis, si in Clericali tonsura, & habitu incedant, & cum una tantum nec vidua contraxerint, cap. 11. de Cleric. conjug. in 6. Imò idipsum dicendum erit, si agatur de monachis, ut ecclesiasticis ordinibus non initiatis, cum & isti singulari jure Deo devoti sint, & sub religiosarum personarum nomine veniant, dicto can. 21. & 29. caus. 17. quæst. 4. cap. 5. 9. & 10. de sent. excom., quod & recta interpretatione ad sanctorum facile protrahes, argumentum canonis 40. caus. 27. quæst. 1., utpotè quæ solemnè voto Deo dicantur. Quomobrem sequitur, sacrilegium etiam admitti ab eo, qui sanctorum aut rapuerit, aut etiam volentem turpi conjunctione maculaverit, l. un. cod. de raptu virgin. can. 14. 17. & 37. caus. 27. quæst. 1., quemadmodum & sacrilegii reus fieret Clericus, Monachusve, quisquis statuta continentia leges violaret, can. 2. & 5. dist. 28., can. 11. caus. 27. quæst. 1.

Secundò admittitur sacrilegium ex disciplina canonum in loca sacræ, vel cum

sacræ aedès diruuntur, vastantur, incenduntur, invaduntur, can. 6. caus. 17. quæst. 4., can. 22. caus. 24. quæst. 3., quibus jungi potest lex 1. ff. ad leg. Jul. majest., & lex 2. cod. de collegiis, vel cum ecclesiastici conventus temerè turbantur, l. 10. cum authentica sequente cod. de Episc. & Cler., l. 5. cod. de his, qui ad Eccles. confug., vel cum certamina, rixæve in sacræ aede committuntur, can. 7. caus. 17. quæst. 4., vel cum quis in templis sacris, quasi in profanis locis, conversatur, cap. 1. 5. 6. & ult. de immunit. Eccles., cap. 2. eod. tit. in 6., vel cum ludi theatralis, & profana spectacula in eisdem celebrantur, cap. 12. de vita & honest. Cleric. Quæ omnia ita vera sunt, ut non solum locum habeant in Ecclesiis consecratis solemnè dedicatione, sed etiam in Ecclesiis simpliciter benedictione institutis, dummodò in iis sacræ jam mysteria obeantur cap. 9. de immunit. Ecclesiar. Huc pertinet, quod tradit solet à Pragmaticis, sacrilegii reos illos haberi, qui reos ad Ecclesiam confugientes vi facta abstrahunt, quod æquè & religiosorum Imperatorum constitutionibus, & ecclesiasticis canonibus definitum videmus, l. 2. & 6. cod. de his, qui ad Eccles. confug., can. 8. 9. 10. 19. & 20. caus. 17. quæst. 4., cujus disciplina triplex causa esse dignoscitur, & prima quidem sita est in clementia erga miseris delinquentes exhibenda; altera consistit in providentia quadam, qua per poenitentias potius, quam poenas delinquentes coercantur; postrema sita est in honore quodam erga sacræ aedès exhibendo. Ecquidem prima causa in jure divino fundamentum quoddam positum habet, secunda in ecclesiastica disciplina, postrema in consuetudinibus apud varios populos receptis, ac moribus comprobatis. Quæ singula ubi quisquam apprime consideret, fortè novèrit varias Pragmaticorum doctrinas invicem conciliare, aut saltem ita conferre invicem, ut me dius inter disputantes se-

dens certam, aut valde probabilem sententiam proferant.

Dixi, primam disciplinam causam sitam esse in clementia erga miseros delinquentes exhibenda, atque id fundamentum quoddam habere in jure divino. Clementia hæc est, non in quoscumque indiscriminatim reos fovendos, sed eos tantum, qui miserabilis deliquissent. Promiserat olim Deus in constituenda Judæorum Republica se certa loca designaturum, in qua se conferret, qui non omnino sponte positisque insidiis hominem occidisset, Exodi cap. 21. vers. 13. Clarius in cap. 35. Numeror. ita Deus præcepit: *De ipsis autem oppidis, qua Levitis dabitur, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea, qui fuderit sanguinem, & exceptis his, alia quadraginta duo oppida, id est, simul quadraginta octo cum suburbanis suis.* Executurus Moses præcepta Dei legitur in cap. 4. Deuteronom. tres Civitates trans Jordanem ad Orientem plagam designavisse, ut confugeret ad eas, qui occiderit volens proximum suum, nec sibi fuerit inimicus ante unum & alterum diem, & ad harum aliquam urbem possit evadere. Insuper mandavit Deus in cap. 19. Deuteronom., ut cum Judæi terram gentium occuparent, separarent tres Civitates refugii nomine, ad quas posset evadere, qui propter homicidium profugus esset, hæc l. dicta: *Qui percusserit proximum suum nesciens, & qui heri, & medius tertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur, sed abissis cum eo simplicitate ad ligna cadenda in sylvam, & in succisione lignorum securus fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, & occiderit, hic ad unam supradictarum urbium confugiet, & vivet; ne forsitan innoxius ejus, cujus effusus est sanguis, dolore stimulatus persequatur, & apprehendat eum, si longior via fuerit, & percutiat animam ejus, qui non est reus mortis; quia nullum contra eum, qui occisus est, odium prius habuisse monstratur. . . . Si quis autem odio habens proximum suum insidiatus fuerit vite ejus surgensque percusserit illum, & mortuus fuerit,*

fugeritque ad unam de supradictis urbibus, mittent seniores civitatis illius, & arripient eum de loco effugii, tradentque in manu proximi, cujus sanguis effusus est, & morietur: non miseraberis eum, & auferes innoxium sanguinem de Israel, ut bene sit tibi. Eadem leguntur in cap. 20. Josue, eo adjecto, ut qui hominem nescius, seu causa occidisset, in civitatem refugii se recipiens ibidem moraretur, donec staret ante iudicium causam reddens facti sui, & moreretur Sacerdos Magnus, qui illo tempore fuisset. Plura hinc colliguntur, & primum de sacris locis ibidem non agi sed de civitatibus singulari jure designatis; secundò non de quibuscumque delictis immunitatem fuisse concessam, sed de homicidio casu quodam admissos; tertio immunitatem datam adversus cognatos occisi, qui deprehensus occisorem ad ulciscendam defuncti necem jugulare impunè potuissent, Numerorum cap. 35. vers. 19. 20. & 21. Tota ergo, ut liquet, ejusmodi disciplina ex humanitate, ac clementia proficiscatur in eos merito exhibenda, qui casu deliquissent; longè autem distat hoc asyllum ab eo, quòd Romulus, dum urbem conderet, reis quibuscumque constituit inter Palatinum, & Capitulinum, cujus finis erat, ut nova civitas eò confluentibus hominibus augetur. Quæ si velis hodiernæ immunitati Ecclesiarum accommodare, eatenus æquabili ratione accommodabis, quatenus cum Ecclesie præ urbibus refugii designata fuerint ad asyllum suppeditandum, clementia erga eos exhibeatur, qui sunt clementia, ac miseratione digni, qua in re divinum quoddammodo jus versari videtur, ut aut prout innoxii quascumque penas, aut qui levius deliquerint, gravissimas pœnas evadant.

Non hinc tamen consistendum est: accessit enim in constituenda immunitate Ecclesiarum altera causa secundo loco à me, commemorata, ac sita in providentia quadam, qua per penitentias po-

po-

potius, quam penas delinquentes coercerentur; quòd fundamentum habere dixi in ecclesiastica disciplina. Mos erat in veteri Ecclesia, ut quicumque rei publice criminis existerent, ubi demisso animo ad Ecclesiam, id est ad ædes sacras, & ad Sacerdotes in illis merentes confugerent, exciperentur quidem leniter, non tamen societati fideliùm reconciliarentur primum, quam per longas, & quidem asperas poenitentium stationes transgressi emendati fuissent. Duplex in conspectu publicæ severioris poenitentia bonum emergebat, primum publicum, quo læsæ Christianorum societati, Ecclesie, ac Deo satisfiebat, quoad fieri posset; alterum curata rei ejusdem emendati, atque in meliorem frugem conversio. Horum bonorum spe illecti Ecclesiarum Antistes, ubi rei criminum sese in Ecclesia sisterent poenitentiam arbitrio Ecclesie suscepturi, nihil antiquius habebant, quam ut apud religiosos Principes, aut curatores Republicæ pro reis poenitentibus intercederent, quo qui poenitentiam suscipiebant, poenis publicis liberarentur, quousque in Ecclesia mererent sub poenitentia disciplina; atque id facillè à piis Principibus, aut republica curatoribus impetrabant, præsertim ubi quædam subesse poterat erga reum criminis miseratio. De hoc intercedendi munere mentionem fecit Gregorius Magnus in can. 3. caus. 14. quæst. 6., Gelasius in can. 3. dist. 87., Augustinus in can. 4. caus. 23. quæst. 5., mentio etiam fit in Capitularibus Francorum, seu in can. 9. caus. 17. quæst. 4. Quid verò est, quod sub nomine Gregorii Magni legitur in can. 7. caus. 23. quæst. 5. *Reus sanguinis defendat Ecclesia, ne effusione sanguinis particeps fiat?* Nihil tale legitur apud Magnum Gregorium. Potius obscurus quidam auctor perperam hæc sub Gregorii nomine consarcinavit, putans paucis referre sententiam Gregorii, quæ habetur in dicto can. 3. dist. 87. his verbis: *Hi, qui in furis publicis implicati*

*sunt, à nobis non videantur justè defendi, no opinionem malè agentium ex indiscreta defensionis ausu in nos ullo modo transferamus; sed quantum decet Ecclesiam, admonendo, & verbum intercessionis adhibendo, quibus valeatis succurrere, ut & illis opem feratis, & opinionem sanctæ Ecclesie non inquinatis; quod jam observaverunt Romani Correctores, quodque etiam maximè animadvertendum est, cum longè distet unius ab alterius monumenti sententia. Nemo insuper in contrarium proferat quasi ex Augustino de promptum canonem 8. caus. 17. quæst. 4. Eam enim epistolam Lovanienses primum Theologi, deinde Maurini Monachi ab Augustino, cujus nomine laudatur, abjudicarunt. Potius ego laudabo duo germana Augustini monumenta, ex quibus demonstratur, qualis fuerit quinti ecclesiastici sæculi disciplina: ait ille in epist. 115. ad Fortunatum Cirtensem Episcopum de quodam Faventio, qui ad Ecclesiam Hipponensem confugerat: *Is cum ab ejusdem possessionis domino, nescio quid sibi metueret, ad Hipponensem confugia Ecclesiam, & ibi erat, ut confugiens solent, expectans, quomodo per intercessionem nostram sua negotia terminaret.* Item in serm. 8. de verbis Domini ita eum adloquebatur, qui reus ad Ecclesiam confugerat: *Contremis, conturbatis, pallescis, ad Ecclesiam curris, videre desideras Episcopum, ad pedes ejus volutari: domine concurtor, domine in carcerem mittor, miserere mihi. Ego quidem curro propter carnem tuam; utinam tu curres propter animam tuam.* Quòd si adhuc aliquam opponat in medium, canonem 10. caus. 17. quæst. 4. notabo ego, monumentum istud Gelasio tributum non levi falsitatis suspitione carere, quemadmodum observandum mihi fuit in meis animadversionibus in Gratianum. Jure autem dixero, ubi certa constat ex aliis perspicuis monumentis modò laudata veterum disciplina, frustrà istam productis incertis capitibus posse turbari.*

Denique in confirmanda ecclesiarum immunitate accessit postrema causa cultus, & reverentia in sacras ædes

ex-

exhibendæ, quod dixi fundamentum habere in consuetudinibus apud varios populos receptis, ac moribus comprobatis. Equidem deberi sacris ædibus reverentiam, divini juris est: qua verò ratione reverentia præstetur, & num ad reverentiam spectet Ecclesiarum, reos ab Ecclesiis abducere, ex moribus hominum fuit judicandum. Jamdiu post institutum Imperatoris munus, & dignitatem invaluerat ad honorem Cæsaris, ut quicumque ad statuum Principis confugisset, in ea reperiret asylum, in quo tutus esset ab omni vexatione, præsertim illorum, quorum potestatem ac vim metuisset, quales ut plurimum erant servi iram domini fugientes, l. 2. ff. de his qui sunt sui vel alieni juris, l. 1. §. 1. ff. de offic. Præf. urbi, l. 17. §. 12. ff. de ædilitio edicto. Res eò protracta fuit, ut qui voluisset impunè delinquere, passim secum imaginem Cæsaris circumferret ad injuriam in alios inferendam. Ad quem cohibendum abusum, opportunum fuit ita cavere, ut quidem fugientibus alienam iram statuæ Principis essent asylum, non iis, qui delinquendi impunitatem exinde sperabant, l. 28. §. 7. ff. de pœnis, l. 5. ff. de extraor. crimin., l. 38. ff. de injur. Retenta etiam hæc consuetudo fuerat apud Christianos Imperatores, adeo ut imagines Imperatorum etiam solemniter ritu dedicarentur, l. un. cod. Theodos. de imaginibus. Theodosius Imperator ita statuit in l. unica cod. Theod. de his qui ad statuas confugiunt: *Eos, qui ad statuas vel evitandi metus, vel creanda invidia causa confugerint, ante diem decimum neque auferri ab aliquo, neque discedere spontè perpetuum; ita tamen, ut si certas habuerint causas, quibus confugere ad Imperatoria simulacra debuerint, jure ac legibus vindicentur; sin verò proditii fuerint artibus suis invidiam inimicis creare voluisse, ultrix in eos sententia profertur.* Integra descripsi verba legis, propterea quod nonnulla omissa fuerint à Triboniano, qui eam retulit in codicem Justinianum, l. un. eod. tit. Similem sal-

tem honorem deferri Ecclesiæ, seu sacris ædibus oportere quis dubitavisset? Eam ob rem quicumque servi dominos timebant, ad Ecclesiam confugiebant, ut clericali intercessione domini ira placaretur, atque interea domini à coercitione temperarent; multi etiam alii publicorum criminum rei ad sacras ædes confugiebant, sperantes futurum, ut intercessione Clericorum à pœnis publicis absolventur, uti superius observabam; quod facile concedebatur, ne minor cultus & reverentia in ædes Deo sacras, quam in Principium statuas, exhiberi videretur. Quando verò non in omnibus delictorum speciebus tutus esse poterat, qui ad statuas Principum confugiebant, ita nec in omnibus criminum speciebus, cautum fuit jure Romano, ut tutum asylum in ecclesiis inveniretur; unde variaz consuetudines inductæ ad definiendum certum honorem in Ecclesiis exhibendum sine eversione publicæ disciplinae.

Post hæc generaliter observata, generaliter concludi potest, maximè laudabilia semper fuisse utriusque potestatis concordata in hoc argumento inita, ut dum hinc publica tranquillitas adversus scelestos tuctur, illinc & clementia locum habeant, & certus honor Ecclesiis decernatur. Nam si primò clementiam illam respicias, quæ habet fundamentum in jure divino, ad certos tantum casus referri debet. Si providentiam consideres Ecclesiæ, quæ olim reos excipiebat pœnitentia emendandos, eaque de causa pro reo intercedebat, optandum erit provido viro, ut rei ita ab Ecclesia defendantur, ut dum in sacris ædibus merent, pœnitentiæ signa publicè pandant. Si decus perpendas Ecclesiis debitum, modus quidam erat definiendus, quo nihil hinc honori detraheretur, illinc rigor disciplinae improbos homines adhuc contineret in officio, præsertim postquam auctus est numerus Ecclesiarum. Hinc ne injusta in atrocioribus flagitiis videretur esse clementia, can. 33. caus. 23. quæst. 4., cavendum fuit

fuit prudentissimè, ne omnes indiscriminatim intercessione ac tutela Ecclesiæ juvarentur, ut desperatione veniaz homines à tantis sceleribus facilis abstinerent. Quamobrem & cives publici æarii debitores, & Judæos creditores suos fallentes tutos esse in Ecclesia noluerunt, etiam si isti sponderent, Christus se nomen daturus, ne fortè & Ecclesiam simulata conversione decipiant, nisi creditoribus satisfecerint, aut se delicto purgaverint, l. 1. cod. Theod. de his qui ad Eccles. confug., l. 1. cod. Justinian. eod. tit., quemadmodum nec servos potestate dominica liberari cupientes, l. 4. cod. eod., can. 22. 23. 36. caus. 17. quæst. 4., cap. 6. de immunit., nec publicos latrones, aut nocturnos depopulatores agrorum, dicto cap. 6. eod. tit., neque eos, qui in Ecclesia deliquerunt, cap. ult. eod., neque eos, qui spontè & deliberato consilio hominem occiderunt, cap. 1. de homic. Addidere nonnulli, nec injuria, adulterii, aut raptus reos, ex Novella 17. cap. 7., interea tamen non satis in eo definiendo securos se esse crediderunt, quòd offenderent in canonem 3. caus. 36. quæst. 1., ad cujus interpretationem rati sunt pugnare jus Ecclesiasticum cum civili, proindeque in aliam questionem se adduci stenserunt non adeo facilè digerendam, an in proposito jus ecclesiasticum anteferi, an civile oporteret. Ego facilius arbitror, utrumque monumentum, sive Justiniani, sive Patrum Aurelianensium, ad diversos provinciarum mores, ad diversa etiam tempora esse exigendum, quando certum est, Concilium Aurelianense l. ante Novellas Justiniani fuisse celebratum, & in iis provinciis, quæ Græcorum Imperio tunc minimè suberant. Non memoro, quid Pragmatici ulterius excipiendo tradant de crimine læsæ majestatis, de crimine peculatus, de iis, qui publicis rationibus tenentur obnoxii, & similibus; siquidem hujusmodi controversiis apud nos finis impositus fuit post inita utrius-

que potestatis concordata. Tantum dicam, & sanctionibus legum, & canonum disciplina declaratum fuisse, ut quod sacrorum ædium, sive Ecclesiarum gratia captum est, protraheretur ad atria, & sacraria, sive diaconica, l. 3. cod. de his qui ad Eccles. confug., ad cœmeteria, ad domus Episcopales & clericas, & Ecclesiæ diversoria, dummodò hæc loca Ecclesiis ipsis cohærent, l. 4. cod. Theodos. de his qui ad Eccles. confug., can. 7. 20. 36. caus. 17. quæst. 4., cap. 5. de immunit. Eccles., cap. 7. de consec. Eccles. vel alt., cap. un. eod. tit. in 6., cap. 17. de sent. excom., etenim olim Clericorum ut plurimum in commune videntium habitacula pone Ecclesiam ædificabantur, can. 4. caus. 12. quæst. 1. Ad auferendas autem controversiarum occasiones aliquando certi limites definiendi fuerunt, intra quos loci sacri immunitas contineretur, uti deducitur ex can. 6. & 21. caus. 17. quæst. 4., quamquam tamen in urbibus, & oppidis, ubi templa laicorum ædibus pœnè cohærere debuerunt, illud observari vix potuerit, unde moribus potius, quam lege scripta, ea in præsentia regitur disciplina. Protractum quoque id fuit ad monasteria, can. 21. in fine caus. 17. quæst. 4., item ad loca religiosa, in quibus auctoritate Antistitum pia hospitalitatis officia exercerentur, cap. 4. de relig. dom. Sed iterum hic ob multiplicatas Ecclesiarum, oratoriorum, sacellorum, locorumque religiosorum erectiones, opus fuit publicis inter utramque potestatem invidis conventionibus, quas, quod ad nostras provincias atinet, unusquisque intellegit ex recentibus, quibus instruiamur, concordatis.

Tertiò, & quidem propriè, uti diximus, admittitur sacrilegium in res sacras, quando nimirum quis furatur, aut rapit res Deo consecratas, quas sanè nemini licet in profanos usus aliquando convertere, can. 3. caus. 12. quæst. 2. cap. 51. de reg. jur. in 6., can. 38. &

& sequentibus de cons. dist. 1. Et quamquam nomine sacrarum rerum proprie illa veniant, quæ Sacerdotali præce sunt dedicate, l. 6. §. 3. & l. 9. ff. de rer. divis. in proposito tamen etiam sacra intelligitur pecunia, & bona universa, quæ ad cultum sacrarum ab Ecclesia possidentur, l. 4. §. 6. ff. ad leg. Jul. pecul. can. 5. caus. 12. quæst. 2., can. 3. §. 12. 18. & passim caus. 17. quæst. 4. imò & sacra intelligitur obsignata pecunia quantitas Ecclesiæ ultima alicujus voluntate relicta, ita ut qui eam mortuo testatore sibi usurpat, sacrilegus judicetur ob dominium rei legatæ in Ecclesia ipso jure translatum, quemadmodum ego intelligo canonem 4. caus. 17. quæst. 4., argumento l. 3. cod. de furtis. Hinc est, quòd Clerici beneficia possidentes sacrilegi appellantur, si quòd superest ex honesta sustentatione in sacros piose usus erogandum, in profanos convertant, can. 6. caus. 1. quæst. 2. can. 68. caus. 16. quæst. 1., can. 71. caus. 12. quæst. 2. cap. 4. de pecul. Cleric. Ulterius progressi sunt juris ecclesiastici conditores; quamquam enim apud Romanos veteres sacrilegus non haberetur, qui rem privatam in sacra æde depositam subripisset, l. 5. ff. ad leg. Jul. pecul., ecclesiastici tamen Antistites eum sacrilegum appellaverunt, quòd dixerint, triplex in hac specie sacrilegium esse posse; videlicet cum quis furatur aut sacrum de loco sacro, aut sacrum de loco non sacro, aut non sacrum de loco sacro, can. 21. caus. 17. quæst. 4., ob singularem injuriam, quæ in Deum seu ratione loci sacri, seu ratione rei sacræ semper inferitur. Nomine autem loci sacri, non privatum, sed publicum locum sacrum intelligit, propterea quod ita intellexerunt Jureconsulti veteres, l. 9. §. 1. ff. ad leg. Jul. pecul., à quorum traditionibus minimè constat, Patres ecclesiasticos in hac parte recessisse.

In tot & tam variis sacrilegii speciebus, quarum alie, uti statim agnoscitur multò sunt aliis atrociores, imò

& toto ferè cælo, ita dixerim, in vicem distant, æquissimum fuit, non una eademque pœna universos sacrilegos sine discrimine coerceri. Est sacrilegium quoddam criminis genus, quod multorum criminum species ad se trahere potest; cum sacrilegium in homicidio, in adulterio, aliisque nefariis conjunctionibus, in furto, in rapina, in injuriis, & damno dato, aliisque pluribus admittatur. Quamobrem quis dubitet, generaliter sacrilegii scelus extraordinarium posse appellari, leniore modò, modò asperissima pœna dignum? Ut primum de sacrilegio dicam, quale apud Romanos veteres habebatur, lege duodecim tabularum, uti refert Tullius lib. 2. de legibus, statutum erat, ut qui sacras res subripisset, parricida foret; deinde legibus Julii puniri cœpere sacrilegi pœna peculatus extra ordinem infligenda, scilicet habita personarum, ætatis, sexus, temporis, & rei ratione; hinc alios scimus vivos exustos, alios bestiis objectos, alios furcæ suspensos, alios publicatis bonis deportatos, alios in metallum damnatos, alios flagellis cædos, & in exilium missos, l. 3. 4. 6. 9. 10. & 11. ff. ad leg. Jul. pecul. Quòd si sacrilegium latè sumatur, prout in sacris canonibus sumitur, tanquam violatio personæ, loci sacri, varias quoque noscimus pro varietate criminis, & adjunctorum, seu civiles religiosorum Imperatorum constitutionibus indicatas, seu ecclesiasticas canonum pœnas. Etenim eos, qui sacra ministeria turbaverint, vel celebrari prohibuerint, capite puniri constitutum est, Nov. 123. cap. 31., l. 5. cod. de his qui ad Eccles. confug., & qui atrocem in sacros administratos, dum sacra celebrarentur, injuriam intulerint, flagellis cædi, & in exilium mitti, dicta Nov. 123. cap. 31., ex qua immutata fuit disciplina legis 10. cod. de Episc. & Cler., juxta quam hæc injuria à Rectoribus Provinciarum etiam non postulantis Episcopis erat capita-

si pœna vindicandi. Præterea ii, qui ad Ecclesiam confugientes vi facta abstraxissent, tanquam rei læsæ majestatis olim habebantur, l. 2. cod. de his, qui ad Eccles. confugunt. Verùm media Ecclesiæ ætate in hac sacrilegiorum specie non constans ubique servata fuit juris disciplina ob varias, quæ prodierunt, leges, modò apud Græcos, modò apud Longobardos; siquidem apud Græcos obtinuit, ut qui confugientes ad Ecclesiam propria auctoritate abstraxissent, verberati & tonsi deportarentur, l. 2. cod. de crim. sacrileg. ex tit. 45. Basilicorum in codicem Justinianicum translata, de qua videsis Harmenopolium in Epitome juris lib. 6. tit. 5. Idem Harmenopolus in promptuario juris civilis ita tradit lib. 2. tit. 9. *Qui ad Ecclesiam confugunt, usque ad fines Ecclesiæ, qui ante publicum forum sunt, tui sumo. Verùm armis ne se muniunt. Servus cum armis ad Ecclesiam confugiens, exinde protinus abstrahatur, Resistens verò, summa vi abripitur, ac extrahatur, & si pugnantis ceciderit, absque ulla noxa sit, qui in eum invasit Dominus. Neque homicidas, neque adulteris neque virginum raptoribus delinquentibus, quæ de terminorum cautione & tutela traduntur, observabis, sed & inde extrahes, & penam meritam irrogabis. Quæ enim ex sacris cautionibus, & immunitatis competit, non injuria afficientibus, sed affectis à lege conceditur. Qui ad sacram Ecclesiam confugientes propria auctoritate revellit, & extrahit, verberibus affectus, ac rasis relegatur.* Quamobrem Isidorus Mercator juxta recentiores sui temporis mores tradere non dubitavit, sacrilegos infamia, carcere, exiliove puniri, in can. 13. caus. 17. quæst. 4. Apud Longobardos receptum fuit, ut compositio ob violatam temporum immunitatem data pecunia fieret, ad quam respexit Concilium Triburiense in can. 7. 20. 25. & 26., juncto can. 27. & 28. caus. 17. quæst. 4. Adversus occisores Episcoporum, & Cardinalium prodierunt posterioribus sæculis Pontificiæ constitutiones, quales exhibentur in cap. 5.

apud Bonifacium VIII., & in cap. 1. apud Clementem V. de pœnis. Canonice quoque pœnæ adversus sacrilegos variæ præstitutæ fuerunt pro qualitate delictorum; hinc contra eos, qui Ecclesias dirunt, vastant, spoliant, incendunt, indicta fuit pœna excommunicationis tamdiu, quamdiu rei congruè non satisficiant, & damna resarciant, can. 1. 6. 21. caus. 17. quæst. 4., cap. 2. §. de raptor., cap. 22. de sentent. excom., Concilio Tridentino sess. 22. de ref. cap. 11., item præceptum est, à communione eos excludi, qui extra causas jure moribusve probatas violenter extrahunt confugientes ad Ecclesiam, can. 10. 11. 35. caus. 17. quæst. 4. aliquando verò publicæ poenitentiae subijci, can. 14. & 20. ead. caus. & quæst. & si Clerici sint, è gradu suo dejici, can. 19. ibidem. Præterea adversus sacerdotum administratos res ecclesiasticas præter causas & solemnitates abs jure probatas alienantes, cautum aliquando fuit, ut de gradu suo deturbarentur; deinde statutum, ut certis pœnis subicerentur, quales præstituantur in extravag. un. de reb. Eccles. non alien. int. com. In aliis autem causis, in quibus adversus sacrilegos singularis pœna indicta non adparet, extra ordinem poterunt Ecclesiarum Antistites in reos animadvertere.

Prætereunda sanè non est vulgaris prudentia, quæ obtinuit post constitutionem Concilii Lateranensis anni 1139. sub Innocentio II. in can. 29. caus. 17. quæst. 4. Nimirum, quidquid olim vigeret juxta canones 22. 23. 24. 25. 26. 27. & 28. eadem questione, cautum legitur, ut si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quòd in Clericis, vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum prasumat abolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui presentetur, & ejus mandatum suscipiat. Nova fuit penalitas hæc sarchio, primum edita in Concilio Rhemensis anni 1131.

can. 13. eisdem verbis concepta; ac deinde in dicto Lateranensi Concilio confirmata, & in generalem Ecclesiam prorogata. Hinc liquet, quid sentiendum sit de capitulo 9. de vita & honestate Clericorum adscripto Gregorio VII., qui vixit ante tempora & Rhenensis & Lateranensis Concilii, quique in fine illius rescripti ita respondere videtur, ac si & Rhenensis & Lateranensis canonis sanctionem moderetur. Falso tributum est rescriptum illud Gregorio VII., ac verius tribuendum erat Gregorio VIII., qui post Lateranense Concilium floruit. Et revera in Collectione I. Decretalium cap. 10. idem rescriptum recensetur sub nomine Gregorii VIII., inò auctor ejusdem Collectionis, qui in recensendis Pontificum monumentis temporum ordinem persequè observavit, rescriptum illud recensuit post rescripta Alexandri III., quod etiam notari potest in Collectione Gregorii IX. At verò si rescriptum illud Gregorii VII. foret, non Gregorii VIII., collocari debuisset ante rescripta Alexandri III., quem Gregorius VII., non Gregorius VIII. tempore antecessit. Tria observanda sunt in conspectu laudati decreti Lateranensis, quorum primum spectat interpretationem illorum verborum *suadente diabolo*, alterum spectat anathematis pœnam inflictam in eum, qui in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, postremum spectat reservationem absolutionis ab eodem anathemate.

Ad interpretationem illorum verborum *suadente diabolo* non dimoveor ab iis, quæ animadvertenda censei in meis lucubrationibus in canones Gratianos, ubi tradidi, occasionem edendo huic canonis præbuisse Arnaldum quendam Brixianensem, qui adversus ecclesiasticam Hierarchiam, statumque monasticum impie insurgens nihil antiquius habebat, quam ut passim excitaret universos, quo in Monachos, Clericos, Antistites, ipsum etiam Pontificem Maximum vi fac-

ta irruerent, cæderent, ac bonis omnibus spoliarent. Certum est, in eo Concilio Lateranensi Innocentii II. Arnaldum fuisse damnatum: certum est, Arnaldum ea in clerum universum odia concitavisse, adeo ut plures jam urbes contra Ecclesiam commovisset. Quid clarius ad attingendam Patrum Lateranensium mentem, ut inferamus, tum demùm pœnæ illius canonis locum fuisse, cum conceptum in ecclesiasticam Hierarchiam, & monasticos ordines odium inferendæ injuriæ causam dedisset? Nihil sanè referebat, an privatim, an publicè facta injuria proponeretur; nihil etiam referebat, ubi de Monachis ageretur, an injuria illata esset adversus profectum, an adversus eum, qui tantum monasticum habitum suscepisset, & in tyrocinio versaretur. Quum enim adversus omnes has personas aequè Arnaldistarum animus debaccharetur, optimum fuit definire, locum esse pœnæ Concilii, cap. 7. de sentent. excommun., cap. 2. in fine eod. tit. in 6. Si hæc vera sunt, quemadmodum ego verissima censeo, liquet profectò, pœnalem Concilii sanctionem certis tantum in casibus circumscribi; videlicet tum pœnam anathematis dictam fuisse, cum quis odio clerici, & monasticarum institutionum in Clericos, vel Monachos injuriam intulisset. Cæterum hæc interpretatio licet in jure fundamentum habeat, parum tamen in factò consistit, quando scimus, ex rescriptis subsequentibus Pontificum Maximorum, pœnam illius canonis ad omnes species prorogatum fuisse, quibus injuria illata deprehenderetur, vel in Clericos, vel in Monachos, etiam ab eo, qui aut nunquam induisset, aut semel indutum deposuisset animum Arnaldistarum. Hanc pœnalem extensionem de specie ad species postulavit utilitas publica, postulavit etiam sagax agentum prudentia, in qua ubi impie sectæ evertendæ sunt, rigor & austeritas adhibenda est, quibus tamen eversio sanandum est, ut rigor ille & auste-

te-

teritas, clementia & moderatione temperetur. Ita sese gesserunt Pontifices Maximi. Cum primum Arnaldistarum hæresis grassabatur, ob ingentem illorum multitudinem recipiendum erat, ut quicumque in Clericos, vel Monachos impiam manum intulissent, ita Lateranensis canonis pœnis subjacerent, ac si Arnaldistarum furore correpti fuissent, cap. 5. 9. 19. & passim de sentent. excommun. Cum verò imminui cœpit Arnaldistarum numerus, adhuc tamen aliqui erant, non omnes conjecturæ sublata fuerant, quibus in eadem disciplina perseverandum esse crederetur. Tandem verò cum severior pœna videretur, certi casus excipiendi erant, quibus pœna Lateranensis Concilii locum non haberet. Hinc exceptio probata est, quo casu ex animi levitate, seu joco quis Clericum læsisset, cap. 1. de sentent. excommun.; item quo casu quis ex officio, putà Magister discipulum, Prælatus subditum corrigat, aut laico corrigendum mandet, dicto cap. 1. & 35. eod. tit., cap. 15. eodem in 6., tumdem quo casu quis vim à Clerico illatam repellat, aut injuriam inferentem Clericum coërceat, quemadmodum contingit in specie capituli 3. vers. *Nec ille* eod. tit., insuper quo casu quis Clericum percutiat divina officia impediendum, cap. 16. eod. tit., aut tractantem negotia secularia, à quibus nec post tertiam Prælati sui admonitionem recesserit, cap. 25. & 45. eod., aut eum, quem Clericum esse ignoraverit, cap. 4. eod., denique quo casu quis non mandaverit quidem Clericum lædi, sed ratam injuriam ab alio illatam habuerit, dummodò ratam habentis nomine illata non fuerit, cap. 23. de sententia excommunicationis in 6.

Verba illa Lateranensis Concilii *anathematis vinculo subjaceat*, si ita interpretanda essent, quemadmodum sonant, fortè intelligerentur de pœna anathematis non ipso jure inflicta, sed per sententiam judicis infligenda. Observo

inprimis ad hanc rem, censuras, ut ajunt, late sententia parum frequentes illa ætate fuisse, adeo ut extra causas hæreticorum vix ante sæculum duodecimum demonstrari illarum exempla possint. Observo deinde, in dubio potius ferendæ, quam late sententiæ censuram indicam intelligi, ob generalem regulam, quæ suadet, ut in dubio mitiorem semper interpretationem sequamur. Observo insuper, verbum illud *subjaceat* dubium esse posse, cum aequè subjacere quis possit anathemati ex juris potestate, atque ex judicis sententia. Observo denique, verbum illud *subjaceat*, & in præcedentium Conciliorum canonibus, & ab ipso Lateranensi Concilio ita in aliis canonibus fuisse usurpatum, ut ad ferendam sententiam referretur. Cum præcedentium sæculorum canones memoro, laudare possum canonem 101. caus. 1. quest. 1., ubi in certis criminibus pœna dicitur in Episcopum, ut duobus mensibus *excommunicationis subjaceat*, & in Presbyterum, ut quatuor mensibus *excommunicatione plectatur*. Quamobrem liquet, verbum *subjaceat* promiscuè sumi cum verbo *plectatur*, quod tamen verbum nemine dubitante ad excommunicationem ferendæ sententiæ refertur: secus dicendum, etiam gravius puniri Episcopum, quam Presbyterum contra mentem Patrum Toletanorum, qui Episcopi pœnam bimestrem, Presbyteri quadrimestrem esse voluerunt. Cum memoro alios canones ejusdem Concilii Lateranensis, video similem formulam *subjaceat* legi in can. 47. caus. 12. quest. 2., quem tamen passim de excommunicatione ferendæ sententiæ interpretantur. Adjicere possum, hanc formulam de ferendæ sententiæ censura intellexisse Innocentium III. in cap. 4. de crimine falsi, dum inprimis statuit *sub pena excommunicationis, & suspensionis*, ne in impetratione litterarum Apostolicarum fraudes admitterentur, & contra transgressores jubet, ut *si laicus fuerit, excommunicationi subjaceat, si Clericus, suspen-*

penione damnetur. Verba illa sub pena excommunicationis, & suspensionis, indicant nemine dissentiente censuram ferendam sententiam; ne igitur Innocentius videatur sibi contradixisse, de simili pena intelligenda erunt illa verba excommunicationi subjacent, eò vel magis, quod ista ad laicos referenda respondeant aliis in Clericis referendis suspensione damnetur, quæ expriment censuram ferendam sententiam. Itaque & ante Concilium Lateranense, & in ipso Lateranensi Concilio, & post Lateranense Concilium verbum subjacent non indicavit latam juris sententiam. Cur igitur indicavisse concludetur in dicto can. 29. caus. 17. quest. 4. Scio, quid nonnulli dixerint ad hanc rem. Observaverunt post illa verba anathematis vinculo subjacent, statim prosequi Lateranenses Antistites: & multis Episcoporum illum prasumat absolvere, &c. Si, inquit, statim Lateranenses Patres de absoluteione cogitaverunt, conjectura est, supposuisse eos, reum criminis jam fuisse censura ligatum. Speciosa est hæc conjectura, non tamen tanti momenti, ut perspicue insinuet de sententia lata saactionem penalem fuisse conceptam, cum æquè possit reservari Pontifici Maximo absoluteio censuræ ab homine ferendæ, ac latæ abs jure. Ad summum dubia videretur in hac parte constitutio; in dubio autem concludi nequit, agi de sententia jure lata. Cæterum hæc disputari quidem possunt in conspectu Lateranensis canonis, seposita consuetudine, quæ aliter canonem illum est interpretata. Nimirum post editum illum canonem passim creditum est, & moribus receptum, ut ipso jure violatores legis anathema incurrerent. Postulabat id atrocitas secleris, præsertim inter adjuncta ubicumque bacchanium Arnaldistarum; idque passim subsequentes Pontifices suis rescriptis confirmaverunt, quorum magna pars habetur sub tit. de sent. excommuni., adeo ut concludere possim, sententiam anathematis in ea parte, qua dicitur

ipso jure infligi, infligi potius ex interpretatione canonis rescriptis Pontificiis confirmata, quam ex vi Lateranensis constitutionis; neque enim interest, an certa lex initio aliquid statuat, an statutum interpretatione quadam & auctoritate publica ulterius extendatur, ut liqueat, quid sit, prout res incidit, judicandum. En autem causam, quare subsequentibus sæculis multæ, uti modo adnotatum est, invecæ sunt exceptiones, ne disciplinæ rigor in interpretatione potius legis, quam in lege ipsa fundamentum habens nimis asper videretur, cessantibus adjunctis, quæ summam suadebant asperitatem, id est cessante furore Arnaldistarum.

Postrema canonis verba indicant absoluteionem ab anathemate Pontifici Maximo reservari. Etiam in hoc rigor disciplinæ servandus erat, ubi de Arnaldistis ageretur. Successit interpretatio, qua passim tradebatur, reservatorem habere locum, etiam si qui Clericum Monachumque percussisset, non esset addictus sectæ Arnaldistarum. Et quidem initio opportunum erat ita recipi, & rescriptis Pontificiis confirmari, ut unusquisque magis, ac magis averteret se ab Arnaldistis. At postquam horum secta prorsus interijt, Pontificiis rescriptis multæ exceptiones adjectæ fuerunt, aut immutata disciplina, aut declarationibus factis ad dubia sæpè emergentia dirimenda. Exceptiones istæ duplicis generis sunt, vel perpetuæ, vel temporales. Perpetua exceptio est in impuberibus, in senibus, in mulieribus alienæ potestati subjectis, & in sanctimonialibus, cap. 1. 6. 13. 33. & 60. de sentent. excommuni., horum enim gratia concessa est Episcopis facultas absolventi ab excommunicatione. Item à Prælati suis absolventur Monachi invicem se percutientes, cap. 2. & 51. eod. tit. quemadmodum & Clerici communem vitam agentes, cap. 9. in fine de vita & honest. Cleric. Adde his ostiarium officio suo insistentem, & sub prætex-

tu

tu sui officii malignantem, uti dicitur in cap. 3. de sentent. excommuni., nisi gravis injuria fuerit; imò & universos, qui levem admodum injuriam intulerint, cap. 17. eod. tit. Temporalis exceptio est, qua interea per Episcopum absoluteio indulgetur ex emergente necessaria causa, fide præstita, ut, quum facultas fiat, ad Sedem Apostolicam confugiatur. Non memoro casum mortis instantis, quem exceptum expressè voluerunt Patres Lateranenses in dicto can. 29. tunc enim vel unusquisque Sacerdos poterit indulgentiam sub ea fide impertiri. Tantum dixero, exceptioni locum generaliter fieri, quando tale subest impedimentum, quo quis ad Pontificem Maximum sine gravi salutis, aut vitæ discrimine accedere nequeat, aut alia si-

mili de causa, cap. 6. 11. 13. & 26. de sent. excommuni. De servis nihil adjicere; cum expressum legatur Summi Pontificis rescriptum in cap. 37. eod. tit. Ex iis, quæ hucusque de dissimilibus sacrilegorum pœnis tradita fuerunt, facillè colligitur, sacrilegium jure à Pragmaticis appellari crimen mixti fori, in quo scilicet puniendo & publicorum Magistratum potestas in pœnis publicis intelligendis exercetur, & ecclesiastica explicatur jurisdicção, quod ad penas canonicas attinet, quia reus post exactas canonum pœnas, & absoluteione obtenta, excipere possit adversus publicos Magistratus, ne legitimis pœnis apud ipsos coëctetur, quemadmodum expressè tradidit Bonifacius VIII. in cap. ult. 5. Per hoc quoque de pœnis,

CAPUT II.

De Simonia.

Huc referendi sunt tituli 3. 4. & 5. libri 5.

NON interit, utinam autem interisset, cum auctore suo teterima illa lues, quæ à Simone Mago nomen accepit, & quam non disparem esse à sacrilegio tradidit Gregorius Magnus in can. 1. caus. 1. quest. 3. Irrepit id scelus, ut iterum cum Gregorio loquar in can. 13. caus. 1. quest. 1., de radice pestifera, atque in ipsa origine sita, Apostolica fuit detestatione clamatum; cum enim Simon Apostolis pecuniam obtulisset, ut facultatem emeret conferendi Spiritum Sanctum, gravissimè objurgatus fuit à Petro his verbis: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam dominus Deus existimasti pecuniam possideri.* Actorum cap. 8. Equidem quatuor prioribus Ecclesiæ sæculis non adeo frequens fuit occasio viris ecclesiasticis, ex qua illud crimen admitterent, proptereaquod Ecclesiæ necdum bonis temporalibus abundarent. Quando verò fi-

delium fuit amplior liberalitas, luxurique, atque avaritiæ locus datus est apud Clericos, sæculo præsertim quinto & sexto, simoniæ crimen plurimorum animos occupavit, unde Gregorius Magnus sæpè, ac sapius debuit simoniacos reprehendere, uti liquet ex variis illius Pontificis monumentis relatis apud Gratianum, præsertim in causa 1. quest. 1. Detestabilis grassatum fuit vitium illud sæculo decimo, & undecimo; incederent enim homines tunc in obscura tempora, & ferrea, quibus & germana doctrina, & sincera pietas, ac religio in Deum resque divinas visa fuit ab hominibus exulare. Pontifices Maximi, inter cæteros Gregorius VII., Nicolaus II., Alexander II., Innocentius II., & Calixtus II. passim in suis epistolis, ac Conciliis incuraverunt, ut tantis Ecclesiarum incommodis remedium adhiberetur, quorum diligentiam sectati fuerunt